

Oa 93

A D



# EXAMEN SOLEMNE

GYMNASII REGII MARIAEINSULANI

DIE 16. OCTO B. 1833

INSTITUENDUM

GYMNASII PATRONOS EIUSQUE FAUTORES

HUMANISSIME INVITAT


FRID. CHRISTOPH. LUDOV. UNGEFUG.

- 
- ENSUNT: 1) DISSERTATIO I.: DE ROMANIS MORIBUS PALLIATAE FABULAE  
IMMIXTIS SCRIPSIT G. A. SCHROEDER, PHILOS. DR.  
2) ANNALES GYMNASII SCRIPSIT FR. CHR. LUD. UNGEFUG.

---



MARIAEINSULAE,  
TYPIS CAROLI HENRICI HARICHI.

1833.



WŁASNOŚĆ MIEJSKIEJ BIBLIOTEKI  
W TORUNIU

WŁASNOŚĆ MIEJSKIEJ BIBLIOTEKI  
W TORUNIU



AB 1697

**De Romanis moribus palliatae fabulae immixtis**  
**dissertatio prima.**

Scripsit

**G. A. Schroeder,**  
Dr. phil. AA. LL. M. in Gymnasio Mariae-insulano superiorum classium praceptor.

etiam in seculorum eternorum aeternorum

amita oblatione

Cum poetis fabulas in scenam committentibus hoc sit propositum et ab arte praeceptum, ut, in quemcunque locum scenam conferant, omnia spectatoribus, sevocato a vitae consuetudine animo, et geri et dici eo ipso in loco videantur, neque quidquam in fabularum argumento insit, quod hunc errorem spectantium dispellat: tum ii, qui fabulas ab Atheniensium theatro petitas apud Romanos spectatores agendas se dare Latine factas professi sunt eo tempore, cum mutua atque interior utriusque populi notitia et commercium nondum esse coepit, in ambiguum adducti videntur discrimen, ut aut retento Graeco colore fabularum verbum de verbo exprimerent minus curantes eos spectatores, qui Graecos mores ignorarent, aut accommodatis fabulis ad audiendum consuetudinem et intelligentiam Romanas disciplinas et mores transferrent Athenas. Accessit tertia difficultas, quae in linguarum posita est diversitate. Nam ut ipsi erant Romani in rebus gerendis strenui ac fortes, in literis et artibus excollendis tenues, ita sermonis Romani egestas res plurimas ab institutis publicis et moribus domesticis ad ea, quae cogitatione complectimur, transtulit. Ac nos quidem res Romanas Romana oratione scriptas legentes aut ipsi aliquid scribentes licet Romanam fere et dicendi et prope sentiendi rationem induamus, tamen, ubi res mere Graecas cognoscimus Latino sermone traditas, sive comoedias legimus, quae intra parietes Atheniensium versantur, quem, quaeso, non offendat, si quopiam verbo Latino cogamur, cogitatione nostra Romam remigrare? An non offendat in palliata comoedia iniecta gladiatorum mentio, vel triumphorum, vel clientelae? Hanc difficultatem vel ii senserunt, qui non audienti caveae fabulas, sed umbratili legentium stu-

dio de alienigenae populi rebus publicis et disciplinis libros composuerunt patrio sermone, in institutorum maxime et magistratum nominibus ipsorum lingua reddendis plus semel fluctuantes. Sponte consecutum est, ut ex palliatarum scriptoribus, si unum forte Luscium Lanuinum eximamus (Terent. Eun. prol. 7) non dextimum illum poetam, ad illam artis formam quam fingimus, adspiraverint nulli, sive difficultibus deterriti, sive dedita opera; sed omnes eo plus gratiae et laudis meruisse viderentur, quo magis a Graecis moribus deflectentes Romanis spectatoribus fabulas Graecas accommodassent. Nam quanquam non defuerunt, qui, cum saltem Accium Plautum negare non potuissent suo ipsius ingenio frotum in scenam prodiisse, Terentium Menandri exemplaris sui vestigia serviliter legisse contenderent, tamen haec Is. Casauboni, Dan. Heinsii aliorumque iudicia, quae quo major erat virorum auctoritas, eo plures in eum errorem induxit, ut Comicorum Latinorum libros pro germanae Graecitatis fontibus haberent, magis e conjectura ducta quam a strenua hujus rei inquisitione profecta videantur. Quid? Num unquam fieri potuit, ut quisquam poetarum attentam sibi et auritam caveam teneret, si Graecos tantum mores induxisset, Graecos magistratus commemorari, Graeca ratione omnia tractari et tantum non Graeca verba pronunciari voluisse? Quid? Num quisquam spectantium argumentis longo spatio a se remotis ac ne salibus quidem Romanis conditis ita et oblectari et detineri potuit, ut, cum ceteroquin Romani horum spectacularorum non ita studiosi essent, vehementer se commotum et in medias res, quod aiunt, raptum sentiret, neque mallet ex praestigiatorum et funambulorum ludis epulas capere oculorum?

Haec autem postquam posui praeiudicia, transeundum est ad id, quod in hac quaestione summum est, ut inveniamus, quas leges poetae Romani in adoptandis fabulis Graecis aut per criticorum edicta observaverint, aut pro se ipsi sibi scripserint, quae est eo obscurior et perdifficilis tractatio, quod, cum ad fontes illos, Epicharmum, Philemonem, Diphilum, Menandrum ceterosque quoniam vestigia secuti sunt poetae Romani, non concessum sit accedere et hos iam rivulos sectando nobis satis habere cogamur, nemo sere eorum, qui de Comicis Latinis scriptitarunt, ad rem nostram imprimis intentus, quid Graecum sit, quid Romanum, quid pro utroque haberi possit aut debeat, accuratius exposuit additis rationibus, neque quemquam quaesivisse reperio, qui tandem fieri potuerit et qua licentia, ut in Graecam fabulam irre-

perent mores Romani, nemo denique docuit, vitione vertenda sit haec utriusque populi morum permixtio, an rudia ista tempora talem farraginem non modo permiserint, verum etiam efflagitaverint. Etenim Aelius Donatus, qui omnium tamen plurima huc pertinentia in commentaria sua contulit, in enarratione Adelphorum: *Haec fabula, inquit, palliata, ut ipsum indicat nomen, e plurali numero, quum sit una, et masculino genere, quum sit comoedia, et Graeca lingua, quum sit Latina, censemur.* Potuit eam Terentius Fratres dicere; sed et Graeci nominis εὐφωνίαν perderet et praeterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur, Menandri esse, quod Terentius imprimis lectorem scire cupit, minus existimans laudis, proprias scribere, quam Graecas transferre. His similia Donatus pluribus locis prodidit, quae profecto ipsi magis quam aliis placere videantur. Nam quod de palliatarum nomine Graeco tradit, potuit ab ejusdem fabulae prol. 6. ad veriora deduci:

*Synapothesantes Diphili comoedia st.  
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.*

neque Plautus ullam fabulam edidit, ex iis certe quae in Varronianarum numero habentur, nisi Latino nomine, et quam sibi sumpserint in fingendis fabularum nominibus omnes, post alios nuper docuit Meineke ad Menandrum p. 67 et 98. Terentius quidem nescio qua causa motus, nisi forte ad usurpandam Graecitatis speciem, Graecos tantummodo fabulis titulos fecit, in quo tamen cum non conspiraverit cum omnibus comicis, non debebat hoc nobis pro communi palliatarum signo vendere Donatus. Speciosiora autem videri possint et ad fidem priora, quae Donatus de singulari Terentii gloria refert, quam conversis magis quam a se inventis fabulis affectasset, cum Terentius ipse (Adelph. prol. 10) profiteatur:

*Eum hic locum sumpsit sibi  
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.*

et Tullius Cicero in Limone hac eum praedicatione prosequatur:

*Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,  
Conversum expressumque Latina voce Menandrum.  
In medio populi sedatis vocibus effers,  
Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.*

(Cf. etiam Fin. bon. et mal. I, 3, 7). Verum tamen illa auctoritatis magis quam veritatis gratia a Terentio et Cicerone dicta arbitror; et qui ex ea professione Afrum

nunquam a Menandro et Apollodoro recessisse, nec quidquam de suo addidisse putet, gravissimo se errore duci patiatur, graviore etiam, si hanc Romanorum criticorum legem et praescriptum fuisse existimet, ut Graecarum fabularum argumenta integra et illibata et sine ulla mutatione converterentur.

Haec igitur cum ad id nos non deducant quod quaerimus, ut vim et naturam palliarum cognoscamus, peropportune accidit, ut Terentius, cuius ars per omnem antiquitatem celebratur, integer fere ad nostra tempora perveniret; hunc igitur putandum est, palliarum indolem optime et ad amussim expressisse. Quod autem huic licentiae et a Graecis exemplaribus digressionis permissum erat, multo magis dabimus Plauto ab arte et seculi conditione minus polito. Quare, quae sequitur disputatio, primum in eo versabitur strictim, ut Terentii in conformandis et componendis fabulis rationem, quoad eius fieri potest, exponamus. Namque quod de arte Horatius commendat Terentium (Epist. II, 1, 59), etsi non dubium videtur, quin coquodiam externa magis species, orationis genus, metrica ratio et, in quo moralis comoedia plurimum studii posuit, artificiose conformatum et stabile fixumque personarum ingenium spectentur in scenam commissarum, tamen, si Romani critici quamquam a Graecis poetis Graecoque habitu aberrationem et mornm dissimilitudinem provitio habuissent, quandoque Afer ab hac licentia sibi sumpta non alienus est, vix puto Horatium, ut de Luscio taceam, sine castigatione et nota eum dimissurum fuisse; atque hic statim ad hoc mihi velim quisque attendat, hoc artificis praecoxum nullo pacto tribui potuisse versificatori, qui Graecas fabulas reddidisset tantummodo et in Latinum transtulisset sermonem. Et cum saepenumero desumpti ex his fabulis versus apud alios auctores legantur, non Menandi, Diphili esse dicuntur, sed eorum poetarum Romanorum, qui illorum Graecas fabulas in suum usum converterant; veluti si Cicero (Amicit. 24). *Nescio, inquit, quomodo verum est, quod in Andria (I, 1, 41) familiaris meus dicit:*

Obsequium amicos, veritas odium parit.

et (ib. 25):

Negat quis? nego; ait? aio: postremo imperavi egomet mihi;

Omnia assentari. (Eun. II, 21)

*ut ait idem Terentius, sed ille sub Gnathonis persona etc. et idem (Senectut. 8):  
Melius Caecilius de sene alteri seculo prospiciente:*

Edepol senectus, si nil quidquam aliud viti  
Apportes tecum, quum advenis; unam id sat est,  
Quod diu vivendo multa, quae non vult, videt.

*Illud vero idem Caecilius vitiosius:*

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum;  
Sentire, ea aetate esse se odiosum alteri.

*item (Tuso. dispp. III, 15):*

Qnamobrem omnis, quum secundae res sunt maxime, tum maxime  
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant. etc. (Phorm. II, 2, 11' sqq.)

*Ergo hoc Terentius a philosophia sumptum quum tam commode dixerit, nos, e quo-  
rum fontibus id haustum est, non et dicemus hoc melius, et constantius sentiemus?  
haec, inquam, si ex palliatis fabulis deprompta alii proferunt, quibus ad Menan-  
drum ceterosque Graecos facilis patebat aditus et utrorumque collatio, est horum ver-  
suum commemoratio talis plerumque, ut, si non revera inventi a Terentio Statioque  
et primum perscripti fuerunt, facile tamen appareat, nihil obstitisse, quominus eius-  
modi inventa sua Graecis fabulis insererent, praesertim cum eiusmodi loci e pallia-  
tarum scriptoribus allati non solum circa singula verba haereant, sed ad inventionem  
sententiae et ipsius fabulae argumentum pertineant. Itaque non licuit solum per hu-  
ius rei arbitros Romanos, verum etiam praeceptum et mandatum id fuit poetis, ut si  
qua minus apte dicta essent a Graecis nec Romanis moribus convenienter, ea corri-  
gerent et ad Romanos spectatores adstringerent, unde contendisse potius et aemula-  
tos esse cum Graecis poetis palliatarum scriptores intelligimus. Item Plinius (Epp.  
VI, 21, 4) Virginii Romani comoedias Plautinis et Terentianis adnumerari posse cen-  
suit, non quod ex Graeco transtulisset, sed quod Menandrum aliosque aetatis eius-  
dem aemulatum potius esse diceret. Adde quod Terentins diserte carpit Luscium  
(Eun. prol. 7), quod bene et fideliter vertendo Graecas fabulas perdiderit, et quod  
sibi id unum negotii datum putat, ut, quas fecisset, fabulae populo placerent (Andr.  
prol. 2; Eun. prol. init.). Quo vero pacto fecisse se fabulas profiteri poterat, si  
fide tantum reddidisset e Menandro, neque quid populo Romano placere posset, repu-*

tasset, neque e Menandro, Apollodoro, Diphilo de promta Romanis spectatoribus accommodasset? Quam saepe desciverit Terentius a Menandro, quam saepe desumptos ex aliis fabulis locos in alias comoedia stranstulerit, ipse interdum ingenue profitetur, quod non fecisset, si quid vitii hac diversarum fabularum coniunctione admitti credidisset. Primum e Menandri Perinthia nonnulla in Andriam transtulit (Andr. prol. 14.), quae fabulae cum dissimili factae essent oratione ac stilo a Menandro (Andr. Prol. 12), sequitur, ut Terentius in componendo utramque multis modis deflexerit ab exemplari suo; tum Ennii integrum locum assumpsit (Donat. ad Phorm. II, 2, 25), in nonnullis imitatus est Plautum (Phorm. III. sc. 2). Deinde vel totas personas ex diversis comoediis Graecis mutuatus ex Colace Menandri parasitum et militem in Eunuchum suam transposuit (Eun. prol. 30—34), in Menandri Adelphos Latine factas ex Diphili comoedia, cuius nomen Synapothnescontes erat, adolescentem arrogavit (Adelph. prol. 10.), ab uno frustra reprehensus Luscio putido censore; Charini et Byrrhiae personas ex Menandri Perinthia Andriae addidit (Donat. ad Andr. II, 1, 1). Quid quod laudi hoc sibi tribui voluit Terentius, quod ex pluribus probatissimis Graecorum comoediis unam Latinam composuit (Adelph. prol. 5.), dummodo personae ex aliis comoediis derivatae nondum in Latinum sermonem translatae essent, (Adelph. prol. 13 sqq.; Andr. prol. 15—17; Heaut. prol. 14—21). Talis cum fuerit singularum partium dispositio admixtis iis, quae Terentius aut ipse invenerat, aut aliunde acceperat, nulli mirum esse potest, quod paucae illae reliquiae Menandri, quae e communi naufragio ad nos pervaserunt, rarissime magnam cum Terentianis similitudinem prae se ferunt et quod Bentleiorum et Meinekiorum ingenii opus erat, quo, unde manavissent Terentiana, aliquantulum dispiceremus, neque denique, quod in quibusdam fragmentis nihil omnino inest, quod Terentianis respondeat (Menandr. rell. ed. Meineke p. 3, 4, 19, 55 cf. prolegg. p. XXXVI). Atque ipse Donatus, qui Terentium majorem rationem interpretationis duxisse quam inventionis perhibuit, εὐρετικῶς in hoc negotio eum versatum esse propriaque dedisse, non dissimulavit (ad Adelph. V, 8, 15; Andr. V, 3, 20), adeoque melius inventa a Terentio quaedam esse quam a Menandro significavit (Adelph. I, 2, 1; Eunuch III, 3, 1; Eunuch. III, 4, 1); cumque alias Donatus raro Graecorum comitorum verba Terentianis addiderit, quod genus interpretandi et commentandi et uti-

lissimum erat et ad diiudicandum Terentium maxime necessarium, certissimum mihi  
 videtur, pleraque omnia et in personarum dispositione et in sententiarum ordine ita  
 discrepuisse, ut, quid cuique responderet, certo affirmari paucis tantum locis posset.  
**Argumento** possunt esse maiora quaedam fragmenta Caecilii Statii una cum Graecis  
 Menandri A. Gellii (II, 23.) diligentia ad nos transmissa, ita partim decurtata et e  
 Graecis extenuata, partim amplificata et aucta, ut, nisi Gelli accederet auctoritas,  
 vix altera ex alteris expressa viderentur. Denique cum Terentio saepe exprobratum  
 sit, quod a Laelio, Servilio, Scipione in scribendis comoediis adiutatus esset, quod  
 crimen Terentius tam modeste et leviter a se amovet (*Adelph.* prol. 15 — 21), ut,  
 praeterquam quod contestatum est a Quinctiliano, Suetonio, Donato, paene iam confitentem  
 habeamus: clarum est, tam illustres viros honorariam solius interpretationis operam  
 neque professuros fuisse, neque opus habuisse Terentium, sed utrosque res a Menan-  
 dro primum perscriptas pro suarum rerum ratione ad Romanos spectatores Romano-  
 rumque palatum et consuetudinem accommodasse atqne immutasse, praesertim cum,  
 ut in Terentii vita relatum legimus, nitidum aliquid et pulchellum sibi praestitisse  
 visus sit C. Laelius elaborata *Heaut.* IV. scena 4. Postremo C. Caesar, cum Teren-  
 tium vocat dimidiatum Menandrum, quid est quod vim in Terentii comoediis aegre  
 ferat desiderari nec comicam eius virtutem aequato cum Graecis honore pollere, si  
 Graecae comoediae salibus et vi caruerunt? Nimirum his ipsis verbis voluit Graeco  
 argumento vim addi ab Terentio. nam quos dicit Graecos in carmine suo, non vi-  
 dentur Menander et Apollodorus intelligi, sed antiquae comoediae poetae ad imitan-  
 dum proponi. Ipsum autem dimidiati Menandri nomen testatum facere, Terentium  
 nonnihil suo ipsius iudicio tribuisse, neque ubique Graeci poetae vestigiis inhaesisse,  
 iudicat Meineke (prolegg. ad Menandr. p. XXXVI.) Hinc vix dubitandum videtur,  
 quin poetarum Romanorum, cum Graecorum comoedias adoptarent, suum tamen quis-  
 que in retractandis fabulis sequeretur et ingenium et recti falsive discriminem et in his  
 fabulis Romanis exprimeret, quod vel inde patet, quod, qui pretium statuerent sin-  
 gularum poetarum, non eodem omnes aestimationis loco posuerunt, sed Caecilium  
 Statium, qui dicendi facultate et elegantia, si Ciceroni credimus, cum Terentio con-  
 tendere non posse videtur, principem tamen comicorum declaraverunt, Terentio autem  
 in recensu comicorum, ut sunt fere hominum iudicia diversa sequentium, sextum de-

num locum assignaverunt (A. Gell. XV, 24), ipsius Terentii Adelphorum priorem partem Varro, idoneus si quis alius iudex principio Menandreae fabulae praetulit, idque sive laudis sive vituperationis his poetis ipsis impertiverunt, non Menandro, Apollodoro, Diphilo, e quibus hauserant omnes, unde sequitur, ut palliatarum scriptores a togatarum poetis non ita multum absuisse videantur, velut Velleius Paterculus quidem (I, 17) Caecilium, Terentiumque et Afranium, scilicet non idem genus comoediarum professos, Latini leporis facetiis enitusse tradit.

Posteaquam his Terentium ab istis pectoris angustiis saepe opprobrari solitis pro consilio meo satis vindicasse video et arctum fidi interpretis curriculum neque decurrisse eum neque debuisse decurrere ostendi, progrediendum ad fabulas ipsas est, in quibus multa vestigia Romanorum institutorum et consuetudinum et rerum a Terentio inventarum apparent, multo plura futura, si datum nobis esset, ut oculis inspiceremus Menandrum et Apollodorum. Etenim nova comoedia, unde emanavit palliata, repudiatis rerum maximarum rationibus, quibus antiqua comoedia inhaeserat, cum ad res amatorias et obscoenas defluxisset et in circulis triviisque versaretur, quae argumenti genera et ipse enumerat Terentius Heaut. prol. 37—40; Eunuch. prol. 36—40, et Alciphro II, 4, 51—54. Wagn. et Fronto Epigr. II. (Antholog. Graec. III. p. 56.), ad instituta publica, ad magistratus, ad leges publicamque civium vitam nonnisi in transcursu respexit; itaque in istiusmodi argumento comoediarum, ut fit, non adeo magna utriusque populi in moribus diversitas deprehenditur, quare potuit Terentius in fabulis denuo faciendis saepe verbum de verbo reddere, idque vere factum esse, quis est qui neget (Adelph. prol. 11). Sed ubi discrepuerunt Romani a Graecis ita, ut, quid dicerent interlocutores, multi spectantium non inteligerent, ibi ad edocendos spectatores Romanos necesse fuit intixeretur quasi commentariolus. Inde est, quod saepius aliquem legimus aliquid fecisse coactum legibus, aut quominus faciat impediri legibus (Andr. IV, 4, 40—42; ib. IV, 5, 4; Phorm. II, 1, 6—8; ib. II, 1, 62—63), et quod Phorm. I, 2, 75. haec habemus de epiclero:

Lex est, ut orbae, qui sint genere proximi,  
Eis nubant: et illos ducere eadem haec lex iubet.

cumque pater, quo absente illae nuptiae contractae erant, peregre rediisset nuptias.

que improbaret, iterum satis verboso sed ad intelligendum necessario commentario usus est II, 1, 65:

Verum si cognata 'st maxime,  
Non fuit necesse habere, sed id quod lex iubet,  
Dotem daretis, quaereret alium virum.

et II, 3, 62:

Itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet  
Dotem dare, abduce hanc: minas quinque aocipe.

quae Atticae leges denuo inculcantur Adelph. IV, 5, 16:

Haec virgo orba 'st patre;  
Hic meus amicus illi genere est proximus;  
Huic leges cogunt nubere hanc.

Id restabat scilicet, ut additum foret, fuisse illum senem pentacosiodimnum, alioquin ita accurate et sedulo hanc legem Terentius argumentatus est, ut prope ab ἄξοσι Σολωνείοις descriptam exhibere videatur. Ibi enim sic fuerat: *Tῶν ἐπικλήσων δόσαι Θητικὸν τελοῦσιν, εἰὰν μὴ βούληται ἔχειν δὲ ἐγγύτατα γέννους, ἐκδιδότω ἐπιδοὺς δὲ μὲν πεντακοσιομέδιμνος πεντακοσίας δραχμάς* *λ.* (Demosth. Macart. Tom IV. p. 171 Tauchn.). Apud Apollodorum autem et Menandrum, animum inducere non possum ad credendum, fuisse illa tam circumscripta et ampla, cum unum nomen ἐπικλήσου unicuique Atheniensium satis esset ad perspiciendam illius virginis conditionem; sed cum in his tota fabula niteretur, scire fecit Terentius, quod haec ab Attico iure desumpta accuratius exposuit indocto populo, quamquam scienti valde frigent. Alia, quae Scipiones, Laelii, Gracchi, alii que cultiores homines satis quidem comperta habuerunt et plebi rumoribus certe et crebris inde cum Graecis commerciis innotuerant, aut quae ad perspiciendam universam fabulam minus gravia erant, sine ulla dubitatione integra servavit et Latine expressit, quorum nonnulla, quo facilius Graecanica origo agnoscatur, Graece adscribam: *περίπολοι* (Eunuch. II, 2, 59), *διαιτηταὶ αἰρετοί* (Heaut III, 1, 94), *παιδεύονται οἱ τῶν καλῶν κἀγαθῶν νῖεῖς γραμματικὴν καὶ μουσικὴν καὶ τὰ ἐν παλαιστοῖς* (Eunuch. III, 2, 23), *ἱπποτροφία καὶ κυνηγεσία καὶ φυλασσοφεῖν* (Andr. I, 1, 30; Eunuch. II, 2, 32), *Ἀπόλλων ἀγνιεύς*

(Andr. IV, 3, 11), γαμεῖν ἀστὴν μίαν (Andr. III, 1, 10), οὐ μετέχει γυνὴ σώφρων συμποσίου (Eunuch. IV, 1, 12), κληρωτὴς καὶ ἀπὸ ξυμβόλου δεῖπνον (Eunuch. III, 4, 2; ibid. III, 5, 59; Andr. I, 1, 61), θηλάστραι καὶ τρόφοι (Heaut. IV. sc. 1; Adelph. III, sc. 1), τροφεῖς (Adelph. IV, 9, 5 — 7; Phorm. I, 2, 22), βασανισμὸς δούλων (Hecyr. V. 2, 7), τάλαντον, μνᾶ, δραχμή, ὅβολός (Heaut. I, 1, 93; Eunuch. III, 2, 18; Heaut. III, 3, 40; Andr. II, 2, 32), παιδαγωγός (Phorm. I, 2, 94), γυναικεῖον (Phorm. V, 6, 22), ἀκρόπολις (Hecyr. III, 4, 17), δημοκράτεια (Adelph. II, 1, 29), Διονύσια (Heaut. I, 1, 110), alia, quamquam sunt plerique a Romanis moribus non ita aliena, ut non vel Romae haec gesta potuerint videri spectantibus; sin minus, quis sponsor nobis fiet, omnia ab omnibus vel insimi ordinis spectatoribus ad suam quaeque Atheniensium disciplinam relata et probe intellecta fuisse, ac non potius Romanorum instituta et mores ab iis Athenas esse translata? Id num re vera factum sit, ut, quae Athenis agi dicerentur, ea spectatores iam latina oratione inducti ad Romanae urbis similitudinem tractari et geri Athenis crediderint et animo fixerint, nemo veterum prodidit, sed credere primum est, cum palliatarum comoediarum poetae saepenumero de industria id quaesivisse reperiantur, ut quae in scenam venirent Graeca, assimilarentur Romanis moribus aut saltem non ita multum a Romanorum disciplinis et consuetudine differre viderentur. Sed de his dicam alio die. Nunc de iis rebus dicendum videtur in Graecis fabulis obviis, quas cum a Romanorum sensu populari et moribus prorsus abhorrerent, si legentibus, non audientibus Terentius fabulas fecisset, poterat ad literam e Graeco reddere, in theatro vero agendas debutare et loco et tempori et personis. Ex eo genere primum est, quod foeminae in puerperio enitentes, nisi deos generatim invocant (Plaut. Amphitr. V, 1, 40), Junonem Lucinam implorant (Adelph. III, 4, 41; Andr. III, 1, 15), quod cum factum videamus apud Plautum (Truculent. II, 5, 23; Aulular. IV, 7, 11), minus potest nos sollicitos habere. Namque Graeci puerarum adiutricem colebant Dianam Λυσιζώνην, sive εἰλείθυιαν sive λοχείαν (Leonid. Tarent. Epigr. II. et III; Antipatr. Thessal. Epigr. XLI, 5; schol. ad Aristoph. Lysistr. 743), Romani vero Junonem (Cic. Nat. deor. II, 27). Quod vero Catullus (XXXIV, 14) refert, Dianam ipsam dolentibus pueroris dictam esse Junonem Lucinam (cf. Horat.

carm. secular. 14; Virg. eclog. IV, 10), ostentui est, potuisse Terentium hac apud Romanos diversarum fabularum perturbatione et mixtura usum pro Iunone vel Diana scribere, si integritati Menandri et Graecae mythologiae maluisset, quam communi spectatorum sensui ac moribus consulere. Ceterum cum huius Romanae religionis nulla memoria antiquior exstet quam quae apud Plautum reperitur, sero demum et fortasse ipsis Terentii Catullique temporibns, quibus coniunctius cum Graecis vivere coeperunt Romani, patrium morem Iunonem Lucinam invocandi primum infuscasse et cum Graeca Diana $\lambda\omega\xi\alpha\varsigma$  religione coniunxisse videntur. Nam Plutarchus (Quaest. Roman. 2. Tom. II, p. 81 Wyttensb.), nulla iam eo loco Iunonis facta mentione, in Dianae tutela parturientes mulieres esse dicit. Qui autem factum sit, ut Diana in Iunonis provinciam succederet, doctius quam verius idem exponit Plutarchus (Quaest. Roman. 77), Iunonis nomen a iuvenescendo profectum affirmans, id autem proprium esse Lunae seu Dianae, Iunonem denique ipsam, quae  $\varepsilon\nu\delta\lambda\eta$  eadem sit quae Diana, propterea Lucinae quasi Lucidae ( $\varphi\alpha\varepsilon\iota\nu\tilde{\eta}\varsigma$ ) nomine indigitatam esse. Satis est animadvertere, permultas etiam alias consuetudines et religiones in omnium populorum colluvie mutuo se corrupisse et alios atque alios prisca patiorum rituum momenta sibi extorquieri passos, tum doctos homines et sollertes varia effinxisse, quibus, quae diversissima sunt, a communi fonte derivarent. Ad Terentium ut redeam, ad Phorm. I, 2, 41 Donatus auctor est, Apollodorum tonsorem aliquem, qui Phanio ob luctum comam abstulisset, de huius virginis venustate nuncium induxisse, id immutasse Terentium ita, ut pro tonsore substitueret adolescentem quendam nuper admodum illam virginem conspicatum eiusque amore flagrantem. Quo loco non refragabor quidem, quin fides habeatur Donato cum dicit, ea de causa Terentium Apollodori verba mutasse, ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet. At vero si id nolebat Terentius, potuitne tonsorem nuncium quidem facere, ut fecerat Apollodorus, de coma autem reticentem? nam si illa immutata sunt de tonsore, addita sunt etiam et aperte ab ipso Terentio inventa, quae de lacrimis adolescentis leguntur et de gravi misero-que onere paupertatis, per quam sibi non licere queritur ad talis virginis nuptias ex-petendas adspirare. Nimirum potior causa illius mutationis mihi haec videtur esse. Totius fabulae finis erat Antiphonis et Phanii connubium; sed Antipho si loquace tonsore et scurrili homine pellectus illico ad puellam visendam cucurisset, male ri-

diculus homo et vesanus amator visus esset; verum cum iuvenis ipse quoque Phanii amore flagraret et aegritudinem animi deploraret, minus absonum fuit, rapi Antiphonem ad depereundam Phanium, unde patet, declarari hec loco celebratam Terentii in *ηθεσιν* artem, qua Antiphonis agendi rationem meliore quam Apollodorus argumento firmavit. Sed de crinibus ob luctum desecandis, praesertim cum I, 2, 56 Phanii capillus in funere passus fuisse dicatur, recte iudicavit Donatus; secutus est enim Terentius patrium morem, quem expressit etiam Heaut. II, 3, 49. Nam non videntur Romani unquam mortuis cincinnos litasse, neque in exsequiis defuncti hominis cognati praecisa coma incessisse, Athenis uterque mos obtinuit a longa antiquitate traditus (Hom. Il. XXIII, 135; Od. IV, 197). Romae autem mulieres sparsis crinibus funus sequebantur omnes (Tibull. III, 2, II sqq.). Certe cum haud paucis locis inferiae nominatim recenseantur Romanorum (Tibull. I, 3, 6 sqq.; ib. III, 2: Lucian. Nigrin. 40. Sueton. Caes. 84 cf. intrpp. ad Virg. Aen. IV, 698), nusquam tamen coxae commemorantur, cumque is mos Graecorum crinibus sacrificandi mature innotuerit Romanis et saepius illustratus sit (Ovid. Met. III, 506; Heroid. XI, 116; Pseudo-Catull. Epithal. 351), ratum esse debet, Graecorum hoc proprium, non commune Romanis fuisse, quam in rem consponsor est Plutarchus (Quaest. Rom. 14), qui, quod Romanorum filiae passis crinibus exsequias eant, filii tecto capite, Graecae autem foeminae, ubi lessum habeant, crines desecent, mares eos nutriant, in utroque populo eum morem luctui optime convenire affirmat, qui candidarum dierum moribus maxime sit contrarius. Igitur Terentius illo in loco quae dixit, derelicto Apollodoro dedit de suo, idque duplice de causa. Idem fecit Phorm. V, 8, 37, ubi parasitus marito pro adultero deprehenso et uxoris suae iram reformidanti acclamat:

Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire, hem! tempus est.  
Sic dabo! age nunc, Phormionem, qui volet, lacessito,

festiva sane iocandi ratione, sed ex intima Romanorum morum et natura et conditione derivata. Quocirca id iam minus animadversione dignum est, quod Terentius solennibus his Romanorum verbis usus est (quamquam de talibus quoque aliquando dicendum erit); sed qui in Phormione Latine expressam comoediam Apollodori sibi videntur legere, atrox putabunt vitium, quod spectatores commonefecit instituti Romani, Atheniensium prorsus alieni. Athenis enim si quis mortuus esset, quaeque exequia-

rum et sepulturae cura familiaribus permissa (Dorvill. ad Charit. p. 240 Lips.), funus autem elocandi mos, vel indictiva et publica funera, qualia Romae instituebant quaestores (Sueton. Caes. 6.), nusquam commemorantur. Ac tametsi fuit pompa funebris Athenis ampla saepe et pro dignitate mortuorum magnifica (Athen. XIII c. 95 p. 218), lege sancitum erat, ut nonnisi qui pro patriæ libertate in proelio obiissent, in extramurano Ceramico sepelirentur (Petit. Legg. Att. p. 501); praecnonum tamen ministerio ne tum quidem Athenienses usos credibile est. Demosth. Macart. T. IV. p. 175. Tauchn.: *Αλλ᾽ ἡσαν ἐξ ἑτέρως φυλῆς Ἀκαμαντίδος καὶ ἐξ ἑτέρου δήμου Προσπαλτόθεν, ὥστε τὸ παράπαν οὐδὲ ἥσθοντο, ὅτε ἦν τετελευτηκὼς ὁ Ἀγριας.* Hinc, licet non fuerint omnes tribus urbanae, omnino ausim contendere, per praecones nunquam homines ad funebria solennia convocatos, neque in ipso efferentium officio et *περιδείπνῳ* quemquam assuisse praeter cognatos et necessarios privatum vocatos (Suid. s. v. *καταλούνῃ*). Igitur possunt illi versus pro documento esse, qui essent fabularum efficaciores sales ac nervi, non de alieno, sed de suo dedito Terentium. Non ex alia prosapia oriundae sunt eae iurandi formulae et interiectiones, quas antiqui maioris fidei causa ultiro et sponte sermoni quotidiano subinde intexere solebant, in quibus Terentius non modo Atheniensium, quos imitari debebat, sed ne Graecorum quidem consuetudinem secutus, relictis exemplaribus suis, ad patrios mores se accommodavit. Namque omnium frequentissime Romani iurant per Castores (Edepol, Ecastor, Mecastor), easque formulas Varro, Festus, Charisius, Gellius, Donatus antiquitus foeminarum proprias fuisse edicunt, post autem antiquitatis ignoratione factum esse, ut mares quoque Edepol dicrent. Quod si verum esse conceditur Varroni, statuendum est, hanc interiectionem usu communi ita obscuratam esse, ut Romani, quid proprie significaret, vix ipsi intelligerent, sin minus, mirum videtur, quod non etiam in iuramento per Castorem concipi solito ab illa lege desciverunt. Hinc mihi, si quidem in casco ritu coniecturae locus datur, Polluces, quae est antiqua Tyndaridae nominis forma, et Pollux, quod est antiquum Coeli nomen (Lobeck. de Dodecatheo P. II. p. 5), ob ipsam nominum similitudinem a Romanis confusi videntur, quoniam apud utriusque linguae scriptores non insolens est, sine sexus discrimine per Coelum iurare. Sed haec utut sunt, per Tyndaridas Athenienses nunquam iurasse reperiuntur, ac licet templi honore eos mactaverint, testes tamen

a colloquentibus citari nusquam observavi, invocari vero, ubi res mira et terribilis acciderit, non uno loco, sed saepius; velut apud Amphidem comicum (Athen. XIV, c. 49. p. 330), et una cum aliis diis averruncis Aristoph. Eccles. 1114:

Ὦ Ήράκλεις, ὦ Πᾶνες, ὦ Κορύβαντες, ὦ Διοσκόρω!

Iurare autem per Castores Lacedaemoniis familiare fuit eodem modo quo Athenienses per Minervam solebant iurare (Aristoph. Pac. 214). Illi enim, sicut Dorienium gentes omnes, et iunctim (*vai τῷ σιών, νεὶ τῷ σιών*), et singillatim per alterutrum horum deorum patria religione iurant, nec tamen istam legem Romanorum in generis deierantium discrimine positam tuentur (Aristoph. Lysistr. 988). Istud autem iuramentum *vai τῷ Απέρσα*, quod a Strabone enotatum in Sophoclis fragmentis legitur, certum mihi est, non Atheniensi, sed Lacedaemonio a Sophocle tributum fuisse, praesertim si verum est, quod Meursius decrevit, esse illud fragmentum e Sophoclis *Λαζαίναις* excerptum. — Aliud Romanorum iuramentum a Festo traditum est per Quirinum seu Martem (non Romulum), quamquam huius interiectio-  
nis (Equirine) neque apud Terentium, neque, quod sciam, apud ullum alium scripto-  
rem Latinum vestigium comparet. Athenienses autem hac per Martem iurandi for-  
mula in quotidiana vita et consabulantum sermonibus nunquam usi sunt. Nam licet  
poetarum arbitrium (Eurip. Phoeniss. 1013) interdum induxit, qui in rebus turbi-  
dis tristitiaque horridis per hunc deum iurarent, ac licet in sacramento militari Athe-  
niensium is deus insit (Petit. Legg. Att. p. 231), sicuti in Romanorum belli indi-  
cendi carmine (Liv. I, 32) aliisque formulis rite patrandis: apud Athenienses tamen  
non potuit δὲ χρυσαμοιβὸς Ἀρης σωμάτων in eandem cum ceteris diis sponte  
iurantium religionis societatem pervenire. Nam quod habet Lucianus (Quomod. histor.  
scr. c. 26), οὐ μὰ τὸν Ἔνναλιον, patet per ludibrium ac iocum dictum esse.  
Apud Spartanos solos Romanis fortitudine et bellica virtute similiores iuramentum  
per Martem conceptum etiam in eommuni vita versabatur (Plutarch. Apophthegm.  
Lacon. Tom. I. p. 934 Wytt.). Ceterum ut apud Romanos maribus tantum per  
Quirinum iurare concessum erat, ita apud Graecos soli mares νῆ τὸν Ἀρην dice-  
bant; Ἀρεος γὰρ οὐ πάντα μέτεστι γυγναῖ (Plutarch. Eret. c. 17), sive ut  
ait Teletus apud Stobaeum Serm. XL. (Tom. II. p. 73 Gaisf. Lips.): οὐδὲ εἰς τὸ

Θεσμοφόριον ἔξουσίαν ἔχω (εἰςελθεῖν), οὐδὲ γυναικες εἰς τὸ τοῦ Ἔνναλίου.  
 — Sequitur iuriandum Iuno a Charisio unis mulieribus assignatum. Cuius edicti non videtur alia causa quaerenda esse, quam quod Iuno in ea formula mulierum genius natalis, non Iuno deorum regina est; per hanc enim et publice et privatim nulla sexus seiunctione iuratur et a Romanis et ab Atheniensibus. Geniorum autem natum cultus cum Graecis aut prorsus ignotus esset, aut poetarum tantum figmentis celebratus, Romanis autem in tanto honore haberetur, ut sanctum pree ceteris viorum per genium vel suum vel amicorum esset iuriandum, sicut mulierum per Iunonem natalem vel suam vel amicarum (Casp. Barth. ad Claud. Rutil. Itin. I, 328; Scalig. ad Tibull. IV, 3, 15), sanctissimum denique, postquam exoleverat respublica, per Caesarum genium existimaretur iuriandum, idque non solum in communi confabulantum usu (Sueton. Calig. 27), verum etiam in publicis actionibus et causis (Glück Erläuterung der Pandecten T. XII, 1. p. 185): consecutum est, ut id iurandi genus apud Graecos tum demum increbresceret, postquam Romani ut arma, ita deos suos per totum orbem terrarum extulerunt, velut apud Xenoph. Ephes. II, 7 legitur: Ὁμήρως σοι τὸν ἀμφοτέρων δαίμονα, ὡς ἐγὼ μενῶ σή. Quod autem dixi per Iunonem reginam iurare in promiscuo fuisse utriusque et populo et sexui, exempti tamen ab hac lege sunt οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται, unde factum est, ut in Atticae scenae monumentis nullum per Iunonem iuriandum inveniatur, contra Atheniensium morem a Romanis comicis saepius actoribus tributum (Plaut. Cistellar. II, 1, 41; Amphitr. II, 2, 201; Terentius fortuito, non dedita opera hoc iuramento abstinuit); Athenienses enim Dionysia sacra celebrantes et solennes scenae festivitates obeuentes Iunonis, quippe novercae Liberi patris, οὐ νομίζουσιν οὐδὲ ἀξιοῦσι ζοινωνίαν εἶναι πρὸς Διόνυσον, ut dicit Plutarch. De Daedalis Plaetaeens. T. V. p. 755 Wytt. — In iureiurando per Herculem (Mehercules, Mehercule, Mehercle \*) et per Cererem (Ecere) Romani cum Graecis consentiunt, illud masculo ge-

\*) Hercules, Hercule, Hercole, sicut Pol, Iuppiter, dii immortales, aliosque vocativos iuramenta esse, visum est Servio Honorato. At quis ei assentietur? Nemo, Hercule, nemo! Brevitatis studio nunc unum tantum locum appono Euripidis (Troad. 484) ad refutandum Servium:

Ω θεοί· κακοὺς μὲν ἀνακαλῶ τοὺς συμμάχους.

ueri soli relinquentes ea de causa, quod mulieres Herculis sacris non licuit interesse  
 (Macrob. Saturnal. I, 12; Suid. s. v. Τυνη εἰς Ἡρακλέους οὐ φοιτᾷ), hoc  
 utriusque sexui concedentes. Nec tamen dissimulandum est, iuramenti *Ecere* usum,  
 quod fere ubique pro interiectione *Ecce* (*Eccere*) accipi potest (Terent. Phorm. II,  
 2, 5; Plaut. Trinum. II, 2, 105), post comicorum tempora in libris nusquam repe-  
 riri, Charisiumque non iurandi, sed monstrandi adverbium appellare. — Reliquum  
 est Romanorum iuriandum per Dium fidium, ut rarius usurpatum (Catoni ap. Gell.  
 X, 14; Cic. Pison. 14; Milon. 32; Coelio ap. Cie. Epp. VIII, 16; Augusto apud  
 Sueton. Tiber. 21; Liv. XXII, 59; Traiano ap. Plin. Epp. X, 47), ita augustius  
 sanctiusque. In cuius iuramenti usu num cum Romanis conspiraverint Graeci, per  
 dissensiones veterum auctorum et varias de huius dei origine et in natura famas certo  
 definiri nequit. Priusquam tamen hinc abeam, fortasse novam iurandi formam, certe  
 non agnitam hactenus, Romanis vindicabo. Etenim Charisius p. 224 ed. Basil.,  
 postquam docuit, Edepol iurationem foeminarum esse propriam, haec addit: *Denique*  
*Titinius in Setina molliculum adolescentulum effoeminate loquentem cum reprehendere magis vellet, An, inquit, quia Pol Edepol fabulare, edi. medi. Edi Titinius in Barathro: Id necesse respondet edi pro edius fidius.* Corruptum locum esse,  
 etiam alii viderunt, nemo autem animadvertis, nullo pacto fieri potuisse, ut *Medius*  
*fidius* in *Edi* vel *Medi* detruncaretur et corrumperetur, praeterquam quod nunquam  
 dicitur *Edius fidius*, sed tantummodo *Medius fidius*, siquidem eae iurandi formulae,  
 quae ab *E* incipiunt, vocativos deorum nominum continent, quae a *Me*, nominativos.  
 Itaque ut paucis dicam, postrema tria verba *pro edius fidius* non sunt Charisi, sed  
 a lectore nescio quo assuta et rursus abiicienda. Etiam particula *Denique* a suo di-  
 vulsa loco videtur; nam Charisius in enumerandis iurandi formulis nondum eo loco  
 ad eam interiectionem pervenerat, quam in enumeratione ultimam esse voluit, neque

"Οὐως δὲ ἔχει τι σχῆμα, κικλήσκειν Θεοὺς,

"Οταν τις ἡμῶν δυστυχῆ λάβῃ τύχην.

in quibus tamen verba δυστυχῆ τύχην nolim iusto curiosius premi. — *Epol* glossematis tan-  
 tum innotuit apud Festum et Nonium; nam in ceteris scriptoribus prò eo restitutum est *Edepol*,  
 velut Cic. Senect. 8. — *Ecer* a Festo traditum est.

est ulli conclusioni locus, quare *Denique* ante vocem *Edi* suo loco reposito, sic puto Charisium scripsisse:

Titinius in Setina — — fabulare? Denique *Edi*, *Medi*. *Edi* Titinius — — *Edi*.

Contradicit Bothius (Scenicor. poett. fragmm. II, p. 59), qui Titinum hunc versum fecisse decrevit:

An quia *Pol*, *Edepol* fabulare? Dic *Medi*. (ibid. p. 69).

